

Papae Rom.
CLEMENT. VII. 9.Archiep. Cant.
GUILIEL. WARHAM 29.Anno Christi
1531.Reg. Angliae
HENRIC. VIII. 23.*Protestatio archiepiscopi Cant. de non consentiendo ad statutum promulgatum in praejudicium ecclesiasticae potestatis. Ex reg. Warham in ann.*

IN Dei nomine, Amen. Per praefens publicum instrumentum cunctis appareat evidenter, et sit notum, quod anno Domini secundum cursum et computationem ecclesiae Anglicanae M. D. XXXI. indictione quinta, pontificatus reverendissimi in Christo patris et domini nostri, dom. Clementis, div. provid. illius nominis papae septimi, anno nono, mensis vero Februar. die 24. in quodam superiori cubiculo sive camera infra manerium reverendissimi in Christo patris et domini, dom. Willielmi, permissione divina Cant. archiepiscopi, totius Angliae primatis, et apostolicae sedis legati, de Lambithe Winton. dioeces. situat. in nostrorum notariorum publicorum subscriptorum ac testium inferius nominatorum praesentia constitutus personaliter idem reverendissimus in Christo pater, quandam protestationem in scriptis redactam fecit et interposuit, ac palam et publice protestatus est, caeteraque fecit et exercuit, prout et quemadmodum in quadam papyri schedula, quam manibus suis tunc renens publice legebat, plenius continebatur, cujus quidem schedulae tenor sequitur, et est talis: In Dei nomine, Amen. Nos Willielmus, permissione divina Cant. archiepiscopus, totius Angliae primas, et apostolicae sedis legatus, protestamur publice et expresse pro nobis et sancta ecclesia nostra metropolitana Cantuariensi, quod nolumus nec intendimus, sicuti neque sana conscientia possumus, alicui statuto in praesenti parlamento apud fratres Praedicatorum London. tertio die mensis Novembris, A. D. M. D. XXIX. et anno regni regis Henrici VIII. 21. inchoat.

et abinde usque ad Westm. prorogatum, et ibidem hucusque continuatum, edito seu deinceps edendo, quatenus statuta huiusmodi seu eorum aliquod in derogationem Romani pontificis, aut sedis apostolicae, vel damnum, praejudicium, sive restrictionem ecclesiasticae potestatis, aut in subversionem, enervationem, seu derogationem vel diminutionem jurium, consuetudinum, privilegiorum, praerogat. praeminentiarum, seu libertatis ecclesiae nostrae metropolitanae Christi Cant. praedictae tendere dignoscuntur, quomodolibet consentire, sed ad omnem juris effectum, qui exinde sequi poterit, aut debet, eisdem dissentire, reclamare, et contradicere, ac dissentimus, reclamamus, et contradicimus in his scriptis. Super quibus omnibus et singulis praemissis idem reverendissimus pater nos notarios publicos subscriptos sibi unum vel plura, publicum seu publica, instrumentum sive instrumenta, exinde conficere debite et instanter requisivit et rogavit. Acta sunt haec omnia et singula, prout supra scribuntur et recitantur, sub anno Domini, indictione, pontificatu, mense, die, et loco praedictis; praesentibus tunc ibidem venerabilibus et probis viris magistris Johanne Cocks, LL. doctore, Rogero Harman, theologiae bacalareo, Ingelramno Bedill, clerico, et Willielmo Waren, literato, testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Istud instrumentum similiter erat subscriptum manibus praedictorum trium notariorum.

Convocatio episcoporum et cleri provinciae Cantuar. per prorogationes ad 27. diem mensis Martii continuata, in domo capitulari Westmonaster. in qua haec praecipue agebantur. Ex reg. Act. et excerptis Heylin.

MARTII 27. die (sessioe LXVIII.) statuta quaedam de clericis convictis in synodo lecta sunt.

Ejusdem mensis die 28. Joh. Nicolson super articulis haeresin concernentibus examinabatur. Perlecta deinde sententia contra testamentum Will. Tracy, in sessioe LXX. et in LXXII. libro taxationis et solutionis summae centum millium librarum examinato, ac confirmato, convocatio ad 16. diem Octobris fuit prorogata.

Hoc die (quae sessio LXXIII fuit) tractabatur processus in negotio condemnationis testamenti Will. Tracy, quem praemissorum praetextu haereticum fuisse et esse, atque in haeresi obiisse et decessisse, corpusque ejusdem exhumandum ac jaectandum cum effectu deberi ad omnem juris effectum, qui inde sequi poterit vel debet, per sententiam diffinitivam fuit pronunciatum.

Ab hoc die per varias prorogationes ad sess. LXXVII. (Jan. 23.) convocatio continuata est, in qua coram reverendissimo publice legebantur "quaedam statuta sive constitutiones, viz. de qualitate ordinandorum; de idoneitate admittendorum ad beneficia; de substitutis beneficiariorum per ordinarios admittendis; de non admittendis ad beneficia per procuratorem; de causa correctionis ex officio; de absentibus causa studii; de iis qui deserta residentia in cura propria recipiunt stipendia aliunde; de concionatoribus; de haereticis et haereticorum libris." Sequenti sessione (Jan. 25.) aliae constitutiones prioribus addendae, publice perlegebantur, viz. de clericis convictis; de vestibus et indumentis clericorum; de clericis venatoribus; de clericis et religiosis lapsis in vitium carnis; de simonia vitanda; de iis qui compactionem faciunt cum praesentatis; de otio vitando, et honesta conversatione clericorum; de dilapidationibus; de ludimagistris.